

An varietas Crepidis biennis?

In pascuis inveni prope pagum Höfgen, etiam inter dumeta, tum ibidem, tum ad Seerbeutel. Floret Julio, Augusto.

Ufus latet.

1306. CREPIS QUALIS? an cum dubia nostra eadem? an Sibirica? vocabo *variabilem*; quia statura, et habitu saepius variat.

Radix praemorsa, fibris crassis longis barbata, quantum video! plus quam annua. Caulis erectus, pedem sesquipedem longus, plus minus angulosus, sulcatus; sulci ac anguli laeves, ad basim uno alterove geniculo divisus, atque ibidem rubescens, caeterum laete viridis, infra hirsutus, quae hirsuties vix ultra tertiam partem longitudinis ascendit: de reliquis caulibus, non pilosus, asper tamen, utpote, quia anguli brevissimis spinulis obsessi, quae solum in trunco, fere nunquam in ramis observantur, qui glaberrimi, et laevissimi, saltem plerumque, praecipue in vigore constituta planta, ubi adolescit magis, accidit non nunquam, quod suprema pars caulibus, quae alias polita, et glabra, ut rami, spinulis exasperetur, communiter vero se habent, ut dixi. Raro, et non nisi in suprema parte ramosus, rami alterni, trunco altiores, ad finem bifidi, in pedunculos abeunt, quorum quivis flore unico, ut truncus solet, terminatur: caeterum truncus teretiusculus, ad basim saepe aliquantulum compressus. Folia diversi generis, infima ultra dimidiam spithamam longa, oblongo-

longo-lanceolata, deorsum versus in petiolos alatos, dentatos extenuata, dentata, et sinuata ipsa: dentibus majoribus, atque longioribus, supra medietatem deorsum versus imminutis longitudine, et latitudine, apicem versus nulli aut minimi, quasi callosi, qualis apex ipse folii cujusvis, omnibus retroflexis, acuminatis; ut folia, hoc modo runcinatis similia, vel runcinata vere dicenda; haec infima, aspera, et pilosa tota: imae parti caulis aut radici inserta, longiora, quo magis ascendunt breviora, uncias 6-5-4-3 longa, angustiora, sessiliaque evadunt, dentes imminuuntur, atque horum basim folii solum unum aut alterum par occupat: caeterum integerrima, lineari-lanceolata, suprema linearia, omnibus omnino dentibus carentia, ad divisuras ramorum, ut in pedunculis ipsis foliola minima, lanceolata, stipularia, saturate viridia, ut folia suprema, atque mediana: infima vero pallidiora, ac ex flavo-viridia, hirsutissima, dum subsequa, medium caulis tenentia, parum hirsuta: suprema, ut stipulae, glaberrima, atque laevia. Flores parvi: calyx pallide viridis, furcatus, villo albo obductus, ad dorsum foliolorum punctis nigris, glandulosis, e quibus pili rigidi, breves nascuntur, exasperatus: foliola ad oras membranacea, lanceolata, interne glabra, imbricata, aequalia, acuminata, numero tredecim: calycis secundarii foliola his similia, ex flavo pallida, villosa, membranacea, punctis nigris non aspersa, nec pilis rigidis exasperata, calyci proprio duplo minora, distantia. Corollulae ligulatae, 5-dentatae, sulphureae, centrales, breviores. Antherae, et styli lutei. Semina oblonga, bruna: pappus sessilis, albus.

Receptaculum nudum, fractum, lactescentem succum fundit.

Inveni plantam in Augusto florentem in hortis gramineis in Gnidwiz.

| | |
|---------------------------|------------|
| An <i>Crepis alpina</i> | } Linnaei? |
| An <i>Crepis Sibirica</i> | |
| An <i>Crepis aspera</i> | |

Sed vix unum aut alterum: quia nullus character absolute quadrat; prae reliquis adhuc convenit cum *Crepide alpina*.

An cum antecedente una eademque?

Uusus desideratur.

1307. *CREPIS TECTORUM, Dachgrundveste.*

Crepis, foliis lanceolato-runcinatis, sessilibus laevibus, inferioribus dentatis. Flor. suec. 640, 705. Gmelin Sibir. n. 2, p. 28, t. II et 12.

Hieracium II. Tabern. hist. 491. bene.

Hieracioides vulgatissima pene glabra, annua, folio longo dentato. Vaill. act. 1718. Pollich pal. n. 751. Matuschka fil. n. 574.

Difficulus distinguenda planta, quia variat ratione diversi foli structura, et facie. In pingui solo folia latiora ut Tabernaem, delineat: in aridis reperta minor, folia angusta, linearia, subdentata habet. A *Crepide Dioscoridis* differt: habitu multo majore, bipedali, cubitali, magis paniculato, plus sulcato! Foliis plerisque lanceolato-runcinatis, profunde dentatis, nullis adeo angustis, integerrimis, ut in *Crepide Dioscoridis*.

A Cre-